



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Sexuum inter se naturalis transmutatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

vehementer appetit, & frequentat mare; in quo identidem natans & se se mergans, membratim fit piscis. Tandem exuta prorsus terrestris animalis figura in piscis similitudinem & naturam commutatur. Cum igitur res interitui obnoxia tantis polleant viribus, ut una res in aliam vertatur, non videtur ea vis dæmonibus neganda, qui potentia cuncta, quæ terræ ambitu comprehenduntur, longo post se intervallo, relinquunt.

His naturalibus rerum commutationibus accedunt maris in feminam, & feminæ in mare transformationes, quas nullus, nisi omnem historiæ fidem abnegare velit, inficias iuerit. Cænis femina, apud Ovidium, in Cæneum virum, in puerum Iphis puella mutata est.

*Tiresias angues baculi violauerat ictu,
Deq; viro factus (mirabile) femina septem
Egerat autumnos,*

octavo autem rursus, visis & percussis anguibus iisdem,

Forma prior redijt, genitinaq; venit imago.

Ac ne hæc ut fabulosa explodantur, puerum ex virgine factum Paulo Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. in publicis Romanorum annalibus annotatum esse, & à Mutiano Consule pro vero sibiq; explorato accepisse, & à seipso in Africa manifesto exemplo compertum, memoriæ prodidit Plinius. Ex recentioribus quoque historiographis narrat Fulgosus, sua ætate, regnante Neapoli Ferdinando primo, duas Ludouici Guarnæ Filias Franciscam & Carolam post decimum quintum ætatis annum sexum mutasse, mutatoq; habitu pro maribus habitas Franciscum & Carolum deinceps nuncupatas fuisse, cuius exempli Petrus Fonseca meminit, & alterius similis Sotus de quodam qui ex femina factus fit vir. Vnde argumentum ducunt, putantq; non minus arduum esse, virum in feminam, quàm hominem in bestiam mutare; quasi scilicet femina à viro non plus; quàm bestia ab homine discreparet.

Rursum ait Bodinus, *transmutationem hominum in bestias agnouerunt Pomponatius, Theophrastus, Paracelsus, principes suæ ætatis Philosophi, Herodotus author antiquissimus, Hemerus poeta-*

11173

III.

Ouid. lib 10.
p. & 15 Metæ.

Petr. Fonseca
in 5. Meta-
phys. Sotus
in 4. d. 1. q. 50
art. 8.

IV.